Fides.

Quis putasset, bone Deus etc. — de notabilioribus fidei rebus discursus. —

Posnaniae typis S. J.
1721.

ści po niemiecku
obacz pod Wer

Quis putâsset!

Bone DEUS, quis sperâsset!

Miratur quidam Nobilis Polonus, nomine BONIFACIUS, qui nuper ex occasione seriæ lectionis cujusdam Operis Controversistici, à Jesuita quodam recenter in lucem editi, ad Fidem Romano-Catholicam amplectendam è Lutheranismo conversus est. Discurrit præterea cum altero Nobili Polono, cujus nomen VERIDICUS, de notabilioribus Fidei rebus, admodum nervosè & jucundè.

DISCURSUS HIC

Omnibus, quicunque Veritatem palpabiliter apprehendere, suæque Animæ Salutem solicitè scrutari atque adipisci non renuunt

COMMUNICATUR

Latino, Germanico & Polonico Idiomate

Per quendam Theologum Polonum.

Superiorum Permissu.

POSNANIÆ,
Typis Clari Collegii Soc: JESU, Annô 1721.

Testificor coram DEO & JESU Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos, & per adventum ipsius, & Regnum ejus: prædica Verbum, insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa, in omni patientia & Doctrina. Erit enim tempus, cùm sanam Doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi Magistros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Tu verò vigila, in omnibus labora &c. 2. Epist. ad Tim: c. 4. v. 1. 2. 3. 4. 5.

1. *BOnifacius*. Antequam Religioni Catholicæ manus darem, prædicti Jesuitæ Lucubrationem ad calcem usque evolveram: unde alios quoq; in materia Fidei, Catholicorum Libros seriò legendi, veritatem investigandi, doctrinam, omnesq; consvetudines eorum studiosè perscrutandi occasionem sumpseram. Nunc verò jam in Gremio Ecclesiæ Romanæ constitutus, etiam quotidie experior quid de illa, aut è converso de Neo-Evangelicorum dogmatibus sentiendū. *Sed quis putâsset!*

2. *Veridicus*. Magnifice Domine Frater, tam vehementia, ut adverto, trahis aut potiùs eructas suspiria, quibus de pervetusta Bibliotheca tua omnem penitus pulverem excutere valeres. Ardentes pyroboli videntur de pectore tuo prorumpere. Quid hæc significant?

3. *Bonifacius*. Judæi & Gentiles in monte Calvariæ decepti sunt in audiendo, Mat. 27. v. 46. dum enim ex-

clamaret Dominus JESUS, Eli, Eli, (quod significat, DEUS meus) existimabant Eliam vocari. Vetulus ille Heli, videndo deceptus est 1. Reg. 1. quoniam, dum Anna Samuelis Mater cor suum coram Domino effunderet, temulentiæ notam suspexerat. Cæcus ille Isaac palpando deceptus est Gē. 27. v. 22. attrectando enim manum Jacob, putabat Esau esse. Erravit Michol loquendo 2. Reg. 6. v. 16. ubi adversus pussimi Davidis, circa Arcam Domini, Processionem & tripudia contumeliosè blateraret. Erraverunt Exploratores informando Num. 13. v. 33. cùm de terra lacte & melle fluente mentirentur, dicentes: *Terra quam lustravimus, devorat habitatores suos.* Saul in tangendo erravit 1. Reg. 18. arbitrabatur enim, se lanceâ tangere posse Davidem, non tamen tetigit.

4. Hæc omnia olim mihi contigerant, dum Prædicautios adversus Pontificiorum Dogmata, Ritus, & Cæremonias graviter è suggestu detonantes audirem, atq; in suis libris; Catholicæ Doctrinæ Articulos, enormiter depictos adverterem. Nunc verò experi-

entiâ

entiâ didici, quàm turpiter homo, in audiendo & legendo, in videndo & informando decipi possit. Credebam, me rem acu tangere, quædam etiam quasi palpare, & nihilominus erravi, deceptus sum. *Quis putâsset Prædicautios, etiam Viros prudentes ita enormiter infascinare & decipere posse!* Ex altera verò parte, in tenebris, quidquid rutilabat, existimabam stellas esse; in angulis, quidquid sibilabat, Philomelas esse; hyeme, quidquid nive coopertum erat, totum niveum esse. Verùm postquam exortus est Sol, angulum illuminavit, nivem dissolvit, En luculenter adverto, id quod splendebat, lignum putridum; quod sibilum edebat, bubonem; quod sub nive latebat, re vera non niveum fuisse. *Quis sperâsset!*

5. *Veridicus.* Jam pridem compertum habeo, Prædicautiorum artem in adaptandis Perspiciliis consistere. Quoties de Catholicorum Dogmatibus aut Ritibus scribunt vel garriunt, perspiciliis molochinis nasum populi ephippiare consueverunt, ut quidquid apud nos agitur, obscurum atq; molochi-

 num

num esse videatur. E contra quando de suis figmentis Ciceroniano stylo disserunt, aurata adhibent perspicilia. Conciones & lucubrationes suas instar Opticæ omnia transverso modo repræsentantis fabricant: adeo enim pervertunt, depravant, immutant Doctrinam nostram, ut suis, qui mediante optica hac, Ecclesiam Romanam contemplantur, videantur Catholici non pedibus sed capite incedere.

De Communione sub una specie.

6. *Bonifacius.* Nihil me adeo adstrictum olim reddiderat Lutheranismo, quàm *bibere de calice.* Toties corde & ore profitebar, Religionem meam nunquam me deserturum, quãvis in omnibus reliquis cum Catholicis convenirem, unicè propter Calicem. Didiceram enim à Prædicautiis: *quàm enormis sit rapina & injuria, simplici popello, pretiosissimum Christi Sangvinem contra expressum præceptum ejus subtrahere. Utique sangvinolenta vulnera tua* (halucinatur Prædicans Tobias Herold in sua Epistola, prout & alii communiter discurrere solent) *Dulcissime*

cissime IESU etiam mihi reserasti? etiam mihi concessum in Sacro-Sancta Cœna, Animæ meæ labia Lateri tuo admovere, & inde Divinum Sanguinem tuum exsugere atque bibere, bibite ex eo omnes, sonat Mandatum tuum Mat. 26. v. 27. Verùm salutiferos Fontes istos obstruit mihi immisericors & crudelis illa Papista Mater: denegat mihi S. Calicem, quem desiderat Anima mea, quemadmodum cervus ad fontes aquarum. Ps. 42. v. 2.

7. *Veridicus.* En pharmacopolarem pyxidem! quæ foris deaurata cum inscriptione Alkermes, intus autem soli aranearum fornices. En Codicem splendidè compactum! intus autem latet doctrina Machiavelli. Utiq; etiam poma Sodomitica exteriùs pulchra & rubicunda sunt? intùs tamen fætido scatent cinere. Utique illa Ficulnea Marci 11. v. 21. jactabat olim frondes & folia? quoniam tamen vero fructu destituta fuerat, maledicta est.

8. Gen. 37. v. 31. Malevoli fratres vendito Joseph, *tulerunt tunicam ejus, & in sanguinem hædi quem occiderant, tinxerunt, dicentes: fera pessima comedit*

eum. Mendacium hoc re vera nimis crassum & palpabile fuerat, tunica enim erat integra. Quis crederet hominem à fera lacerari atque devorarposse, integro inviolatoque relicto vestimento ejus? Millies tamen crassiùs & palpabiliùs comminiscuntur Prædicautii, dum suis persvadere conantur, in Sacra Catholicorum Cæna, privari populum Sanguine Christi, cùm omnino certum sit, sumi ab eodem integrum & vivum Christum, adeoq; unà cum Corpore & Sanguine etiam sub sola specie panis. Utiq; hoc Corpus sumimus, quod in Cælo ad dexteram DEI sedet? illudne exsangue est? quæro.

Utrū apud Prædicantes re vera agatur de Sanguine Christi?

9. *Bonifacius.* Postquam verò rem penitiùs in Catholicorum Libris expendissem, Calicemq; Prædicautiorum *ex hoc in illud inclinassem Ps. 74. v. 9.* (*quis sperasset!*) adverti fæces, id est solas fraudes & calumnias. Falsum est & palmare commentum, imo blasphemia Scripturæ S. evidenter recalcitrans, blaterare, quòd Laici in Ecclesia Catholica non participent quoque de Sanguine Christi. Utique pascuntur

tur à veris & legitimè ordinatis Presbyteris totô integrô & vivô Christô Domino, cum Corpore & Sanguine, Divinitate & Humanitate etiam sub specie panis? *Christus enim postquam semel mortuus & resurrexit, jam non moritur*, inquit Paulus ad Rom. c. 6. v. 9. *Nec solvitur*, Joan. Epist. 1. c. 4. v. 3. Esset autem Christus mortuus & solutus in Eucharistia, si sub una specie haberetur Corpus sine Sangvine, sub altera solus Sanguis absq; Anima & Corpore. Igitur Catholici certò & infallibiliter etiam sub una specie bibunt Sanguinem Christi. Et hìc manifestè animadverti dicta superiùs Prædicautiorum svaviloquia, *de labiis animæ, quibus è Christi latere Divinum Sanguinem sugere tentant*, imperitorum tantummodo fascinum esse, & crassam nimis imaginationem, quasi verò Christi Sanguinem sugere, bibere, & sumere non aliter possimus, nisi illo modo quo aliàs cerevisia de amphora aut calice hauriri solet. Jam perspicio, Prædicautios, re vera non de Christi Sangvine, sed potiùs de sola liquida specie, dulcique Vini sapore sollicitos esse. O

excæcatam pervicaciam! *Quis sperásset!*

10. Nonné salubriùs, absq; vini dulcedine dulcissimô Salvatoris Sanguine potiri in Ecclesia Catholica, quàm apud Prædicautios nec Sanguine, nec Corpore, solo pane & vino perfrui, sicut fundamentaliter docet, firmiterq; credit universa Catholica Ecclesia innixa Sacris Literis e. c. 1. Timo: c. 4. quoniam Prædicautii non sunt Sacerdotes ab Episcopis verè ordinati, qui traditam sibi, conficiendi hoc Sacramentum, Potestatem habeant: sed solummodo Verbi Famuli & Ministri, prout ipsi fatentur. Nonnè meliùs, in unitate & concordia Christiana, vivum & integrum Christum JESUM unà cum Corpore & Sanguine, Divinitate & Humanitate, sub una specie apud nos suscipere? quàm apud vos utramque speciem absq; Christi Anima & Divinitate, sicut docuit Lipsiæ D. Valen. Alberti in sua Professione Fidei de Sacra Cæna, protestando, hanc esse uniformem omnium Lutheranorum Doctrinam. *Quis putâsset!*

11. Quod

11. Quod autem de Christi Institutione, & illo textu, *Bibite ex eo omnes,* cum nimia zelotypia garrire consueverunt, callidum re vera, falsitates suas hoc veritatis colore, expeditè fucandi inventum est, & specialis astus, Populum, qui Rem & Literam superficialiter tantùm desiderat, nec facilè unum Scripturæ textum cum altero combinare, aut penitiùs introspicere, verumque ejus sensum indagare valet, in sua pertinacia inextricabiliter continendi. Universalis Romano-Catholica Ecclesia (à qua sola certitudinem & securitatem habemus quòd de facto detur Sacramentum Eucharistiæ à Christo institutum: nullus enim Lutheranorum vel notitiam hac de re certam consequi posset, nisi Traditionem Catholicæ Ecclesiæ acceptaret, quòd nimirum illa, quæ in Evangelio reperiuntur, ab ipsis Apostolis conscripta, verumque & infallibile DEI Verbum sint) hæc inquam Ecclesia per tot annorum secula, sic intelligit & explicat Institutionem Christi: *Christum Dominum Sanctissimum Sacramentum hoc sub utraque specie instituisse, atque man-*

Consvetū illud *Bibite ex eo omnes*, juxta verum & genuinū sensum expēditur.

dâsse

dâsse Apostolis (dicendo : Hoc facite in meam commemorationem Luc: 22 v 19.) idem similiter juxta exemplum suum sub utraq; specie benedicerent, consecrarent, conficerent, atq; offerrent, quoniam tali modo cruentum illud Sacrificium in Cruce faciliùs in memoriam revocatur. Ac proinde Catholici Sacerdotes, quotidie ad Altare DEI idipsum facere consueverunt. Quod verò attinet sumptionem hujus Sacramenti extra Sacrificium, liberum suæ Ecclesiæ Christus reliquerat, quomodo sibi pro circumstantiarum exigentia, commodiùs & congruentiùs fore videbitur, sive illud sub una, sive sub duplici specie dispensare. Illa autem verba apud Mat: c. 26. v. 27. *Bibite ex eo omnes* sic intelligit atq; interpretatur: *Nullum hìc denotari præceptum sumendi Calicem, omnibus hominibus datum, sed solos protunc præsentes Apostolos monitos fuisse, dividerent hunc unum ab ipso Christo consecratum Calicem inter se, ita ut nemo solus, aut duo, vel tres (quod aliàs facilè contingere potuisset) Calicem illum penitus exhaurirent, sed omnes quotquot aderant præsentes de eo participarent.* Hoc sensu locutus est Chri-

stus, sic intelligenda sunt Verba ejus, inquit Antiquissima Romano-Catholica Ecclesia cum tot illuminatorum, piissimorum, sapientissimorum millibus. Ex quibus igitur veræ Prudentiæ principiis, potest quis tranquillâ conscientiâ credere, Lutherum cum suo Grege scripturam hanc meliùs intelligere & rectiùs interpretari?

12. Utiq; sequimini Ecclesiæ Catholicæ sensum & interpretationem, ubi docet, non esse necesse Cænam Domini vesperi aut circa medium noctis celebrare; nec post sumptionem Agni Paschalis, aut præmissa pedum lotione, quamvis Christus ipse de hac lotione dixerit Joan: 13. v. 14. *Exemplum dedi vobis, ut & vos ita faciatis.* Quare igitur ejusdem Ecclesiæ sensum circa prædictorum Verborum, *bibite ex eo omnes*, interpretationem, sequi renuitis? Solam pertinaciam, quam vehementior bibendi vinum appetitus Populo svavificat, causemini.

13. Porro præfatam Scripturam, *Bibite ex eo omnes, Mat: 6.* omnino rectè intelligi & explicari ab Ecclesia Catholica, non solùm certificamur tot clarissi-

rissimis signis Veræ Ecclesiæ, cui appromissa Spiritûs S. assistentia Jo: 14. v. 16. ne in errorem prolabi possit: imo vel ipso lumine rectæ rationis naturaliter hominibus indito, quo convinceris, securiùs te Ejus sensu niti posse, quàm privatô judiciô propriô, aut interpretatione nuper natorum ac continuò inter se altercantium & dissidentium Prædicautiorum; verùm etiam aliîs compluribûs gravissimîs fundamentis.

14. *imo.* Quoniam etiam reliqui Evangelistæ, scilicet Lucas & Marcus, Cænam Domini describentes, eodem modo prædicta Verba explicant quo Ecclesia Catholica. Lucas ait: c. 22. v 17. *Et accepto Calice gratias egit & dixit: accipite & dividite inter vos.* Attendite & videte! En monebantur Apostoli ut Calicem à Christo benedictum inter se dividerent, id est, ne unus, duo, aut tres totum exhaurirent, sed omnes pro tunc præsentes de eodem numerô Calice participarent, & ideo refert Matthæus, Dominum dixisse, *bibite ex eo omnes.* Qua fronte igitur audent Prædicautii, ex citaris

Mat-

Matthæi verbis, *bibite ex eo omnes*, universale pro omnibus hominibus præceptum effingere? qui tamen aliàs docent, Mandata DEI præsertim perfectè servare, esse impossibile. Marcus autem c. 14. v. 23. inquit: *Et accepto Calice gratias agens, dedit eis, & biberunt ex illo omnes.* Omnes homines? omnes fideles? quæro: nequaquam, solùm omnes protunc præsentes Apostoli biberunt, id est, illi omnes, quibus (ut refert Marthæus) dictum: *bibite ex eo omnes.* Quid Evangelio conformius doceri potest? Quis Verba hæc, *bibite ex eo omnes*, quæ apud solum Matthæum leguntur, rectiùs interpretari poterit, quàm ipsimet reliqui Evangelistæ? *O mi DEUS, quis sperásset!*

15. 2*do*. Quoniam cuivis rectæ Rationi claré patere potest, ipsum Christum Dominum hoc significare intendisse, quod docet Romana Ecclesia. Si enim Salvator noster hac voce, *omnes*, omnibus hominibus Calicem præcipere voluisset, utique etiam penes speciem panis eandem posuisset? ast nullibi in Cæna Domini reperitur, comedite

dite *omnes.* Cur distributioni Panis benedicti, non adjungitur quoque vox ista, *omnes?* quoniam ipsemet Dominus frangens eundem Panem diviserat inter Apostolos: idem autem Calix, connaturaliter loquendo, sic dividi non poterat, idcirco monet Discipulos, ipsi inter se bibendo dividerent, & hoc aliis verbis exprimitur apud Matthæum, *bibite ex eo omnes.* Nonné sic evidenter juxta verum & proprium sensum Scripturam enucleamus? *Sed quis putâsset!*

16. 3*tio.* Quoniam Christus ipse, præfata Verba (sicut & omnia reliqua perperam ab Adversariis objicibilia) propriô factô suo ita explicat, duobus illis Discipulis in Emaus salutiferam Cænam sub sola specie panis porrigendo, Luc. c.24. v.31. Aperti sunt enim mentis oculi ut cognoscerent eum in fractione panis, quo factô, illicò disparuit Dominus.

17. 4*to.* Quoniam eodem modo Scripturam & Institutionem intellexerunt etiam reliqui Apostoli Act. 2. v 42. *Erant perseverantes in Doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis.*

Nul-

Nulla hìc mentiò Calicis. Nefas quoque foret, ſi quis pro placito ſuo, Verbo Divino aliquid ſuperadderet.

18. Quòd autem Paulus Corinthios ſub duplici ſpecie communicaverit, Doctrinæ Catholicæ minimè refragatur, concedimus enim Cæleſte Convivium hoc in primitiva Eccleſia, nunc ſub una, nunc ſub duplici ſpecie diſpenſatum fuiſſe. Sed vel exinde perſpicuè colligitur, non dari Præceptum Divinum, omnino ſub utraque ſpecie communicandi. Siquidem autem Eccleſia Chriſti juſtiſſimis de cauſis poſtea ſtatuerat, uniformem ſumendi ſub una ſpecie modum obſervandum eſſe, proinde qui id facere, pervicaciter reluctatur; non diligit Chriſtianam unitatem, ſed ſolvit & lacerat Eccleſiam, & hic eſt præcurſor Antichriſti, de qualibus Epiſtolâ 1ma loquitur S. Joannes. *Quis putâſſet!*

19. *Veridicus.* M. Domine Bonifaci, adeo dilucidè & nervosè Veritatem Romano Catholicam circa Calicem in compendium redegiſti, ſimulq; calumnioſas Prædicautiorum ineptias ita palpabiliter indigitâſti, ut ſpem concipiam,

Quânti æſtimetur à Prædicantibus Scriptura Sacra?

piam,

piam, te olim experientiâ hac plurimos ad Ecclesiæ Gremium reducturum. Sed liceat quoque mihi aliquid de experientia propria superaddere. Quoties contingit Prædicautios, validissimis hujusmodi argumentis à quopiam premi, nec verentur, nec erubescunt etiam dicere, Paulum hac in parte meliùs quàm reliquos Apostolos Act. 2. egisse. Quare? quoniam Paulus legitur Communionem sub utraque specie Corinthiis distribuisse. Lucam & Marcum Institutionem Christi non rectè descripsisse, Matthæum felicius veritatem attigisse, scribit enim, bibite omnes. En blasphemiam! nunquid omnes non scripserunt ex instinctu Spiritûs Sancti? E converso, dum agitur de bonis Operibus, inquit Lutherus, Matthæi Evangelium non esse ita purum prout Joannis: quare? Matthæus enim clarissimè describit, quomodo Christus exigat bona Opera tanquam omnino necessaria ad salutem, promiseritque talibus Operibus æternam mercedem, ut mox videbimus. Siquidem autem etiam S. Joannes id ipsum in sua Apocalypsi abundè præstat, ideo

ideo rejiciunt Apocalypsim, blasphemantes, non esse Verbum DEI, sed solas phantasticas imaginationes. DEum bonum! dijudicet hìc, quicunque suæ salutis amator est, num id sit juxta Scripturam dicere, (sicut Prædicautii ineptissimè jactare consveverunt) & non potiùs juxta insolentem propriam voluntatem?

Bonifacius. *Quis sperâsset!*

20. *Veridicus.* Ecce adhuc novi aliquid memoriæ occurrit. Ex Doctrina Prædicautiorum sequitur, Calicem tantùm, non itidem panem concedendum esse Gregi suo. Quare? quoniam ipsi in hac voce, *omnes, bibite omnes*, agnoscunt præceptum omnibus hominibus datum: habentq; præterea consvetudinem tales ineptas fabricandi consequentias: *hoc vel illud non est præceptum in Scriptura, Ergo est prohibitum*: (prout ordinariè discurrere solent, ubi agitur de adoratione Eucharistiæ, de Processionibus &c.) Jam, neque apud Matthæum, neque Marcum & Lucam (qui Cænam Domini describunt) reperitur penes Panem consecratum, comedite *omnes*. Ergo non

Lutherani solummodo Calicem bibere deberent.

juxta Scripturam agunt Prædicautii, dum panem in Cæna sua omnibus distribuunt.

Utrum Prædicā tes revera soliciti sint de augmēto Gratiæ Divinæ?

21. *Bonifacius.* Tandem Catholicorum argumentis obruti, aliam elabendi scrutantur viam: recurrunt ad Dei Gratiam, asserentes, tali modo augmentum Gratiæ impediri, cùm plus Gratiæ Divinæ fortè nancisci possent homines sub duplici specie, quàm sub una. *Sed quis sperâsset!* fallacias etiam tali abscondi posse involucro! Ubi quæso in Scriptura habetur, sub duplici specie plus conferri gratiæ communicantibus, quàm sub una? Sed si, ô Lutherane adeo appetis augmentum Gratiæ, cur ad Cænam frequentiùs non accedis? prout facere assveverunt Catholici. Cur non prætendis majorem Hostiam Sacerdotis, sed præcisè haustum bonum de Calice?

22. Simulant Prædicantes (quis non mirabitur) se augmentum Divinæ Gratiæ zelosissimè promovere! Utiq; vos 5. proscripsistis Sacramenra, quibus Gratia DEI insinuari posset hominibus? Utiq; blateratis, non per ipsum Sacramentum, sed solùm per Fidem confer-

ri Gratiam? Utiq; fingitis observationem Præceptorum & Opera bona non præmiari Gratiâ Divinâ? Vos ne quidem scitis, quid nomine Gratiæ intelligendum sit: quis igitur prudens credere poterit, vestrum in promovendo Gratiæ augmento zelum sincerum esse?

23. *Veridicus.* Admisceant licèt Prædicautii suis Scriptis & Dictis etiam Bisamum ex Pego, Spicanardum ex Cambria, Cinnamum ex Maluca, thus ex Arabia, Ambram de Mosuch, Cassiam de Calecuth, cunctaq; fragrantia aromata, hæc tamen fætent: quare? quoniam enormiter mentiuntur. Conciones & Lucubrationes suas innumeris Scripturæ capitibus & versibus instruere solent, instar Privilegii, unde propendent sigilla veluti thecæ pulverariæ in milite: quamvis re vera nihil sinceritatis, nihil veritatis præseferant.

24. *Bonifacius.* Etiam illud non modicè adversus Ecclesiam Catholicam animum exacerbaverat, dum informarer, Sacerdotes Romanos subtraxisse simplici popello Calicem, arrogantiæ & præcedentiæ causâ, ut nimirum speciale quid præ cæteris haberent. *Sed*

quis putâsset! me ita turpiter delu d posse. Utique compertum habebam, etiam Imperatoribus, Regibus & Principibus Catholicis non dari Calicem, qui tamen re vera, maximè dum de præcedentiæ Jure agitur, nihil sibi eripi permittunt. Qua igitur fronte halucinari poteram cum Prædicautiis, simplici popello eripi Calicem à Sacerdotibus præcedentiæ causâ?

25. Alii dicebant Sacerdotes Catholicos optimè nosse, utramque speciem omnino sumendam esse, ideoque etiam ipsos duplici specie frui: quod tamen secularibus permittere renuunt. Et ecce nunc experientiâ didici, in Ecclesia Romana etiam Presbyteros extra Sacrificium Missæ, sub una nonnisi specie communicare quemadmodum & alii homines: imo omnes Sacerdotes & Episcopos, ipsumq; Summum Pontificem Romanum, dum in lethali strato decumbunt jam jam æternitatem ingressuri, sub sola specie panis hoc Sacro Vescuntur Viatico. *Quis putâsset!*

26. *Veridicus.* Si Prædicautiorum lingvæ mucrones forent, certè valerent fortalitium Mendaxopolim armata ma-

nu

nu occupare. Verùm adversus Romanam Ecclesiam, jam his temporibus, talibus armis parum proficiunt, quamvis tot concatenarent mendacia, quot olim Samson caudas vulpinas in agris Philistinorum, quas tamen trecentas fuisse scribitur Judi: 15. v. 4.

27. *Bonifacius.* Libenter adhuc scirem, num Prædicautiorum zelotypia, qua adeo strepitosè Communionem sub utraque specie promovent, sit sincera, quamvis defacto erronea?

Utrū zelus promoventiū Communionē sub duplici specie, sit sincerus?

28. *Veridicus.* Non, non, nequaquam: unica illorum intentio est, Ecclesiæ Catholicæ reluctari pervicaciter. Proinde, licèt Ecclesia omnibus utrāque speciem permitteret, ipsi nihilominus tali casu non utramque sed unam tantùm distribuere vellent populo. Interim tamen, quoniam in nulla materia talem textum contra nos citare valent, qui populo ita arrideat, tantamq; claritatis speciem præseferat, quàm illum, *bibite ex eo omnes*, ideo continuò jactant vociferantes: En videte, En palpate expressum Præceptum, bibite omnes &c.

29. Hæc autem subdolè & insincerissi-

rissimè fieri à Prædicautiis, colligitur luculenter ex Scriptis pretiosi sui NB. Viri & Patriarchæ Lutheri (cujus doctrinæ in cunctis se conformare student) qui an: 1522. postquam omnia susdeque pervertisset, scribit Tom: Ger: 2. Jenæ deinde impresso per Thomam Rebart hæredem an. 1585. de utraque specie Sacramenti, fol. inverso 88. *Si veneris ad locum, ubi una solum confertur species, sume unam prout alii faciunt: ubi verò traditur utraque species sume utramque.* Et quamvis deinde Lutherus nimirum an. 1526. docuerit utramque speciem sumendam esse, nihilominus ibidem immediatè subjungit, dicens: *Si contingeret Concilium aliquod id statuere aut permittere* (puta duplicem speciem) *tunc nos utramque speciem nequaquam sumeremus: quin imo tali casu in contemptum Concilii & præcepti sui, unâ solùm, aut omnino nullâ uteremur, nequaquam verò utrâque, omnes illos anathematizando & execrando quicunque utrâque specie usi fuerint.* Hæc expressissimè habentur Tom. 3. Ger. Jenæ impresso per Donatum Richtzenheim an. 1573. fol. 274.

Nunc

Nunc perpendat quivis prudens Christianus, quid S. Mater Ecclesia in salutem Dissidentium præstitura sit? quāvis enim consentiret in communem duplicis speciei usum, attamen tali casu Prædicantii insistendo doctrinæ sui Lutheri, unam solùm speciem, aut etiam nullam populo permitterent. Et nihilominus cum tanto nunc strepitu conantur persvadere populo, Christi Præceptum esse communicare sub utraque specie.

De Fide, Justificatione peccatoris, & bonis Operibus.

30. *Bonifacius.* Innumeris ferè vicibus legebam, atque audiebam Prædicantios vociferantes: *Quicunq; vult adhærere Papatui, tenetur nuntium remittere veræ Fidei & pretiosis Christi IESU meritis, per quæ nos DEUS salvare decreverat: justificationem autem inquirere per nugas humanas, & propria Opera, id est per media ab hominibus conficta, ut auditionem Missæ, aquam benedictam, Peregrinationes, Rosaria, Instituta monastica, discretionem ciborum, merita Sanctorum mortuorum, quin imo eti-*

am Monachorum & Monialium &c. E *converso in Ecclesia Evangelica tota Fiducia nostra in roseo Christi Sangvine, ejusque præstantissimis meritis per unicè salutiferam Fidem, sita est.* Hujusmodi lectiones & sermones olim effecerant, quòd zelosissimus Lutheranæ doctrinæ propugnator extiterim. Ast modò, omnibus exactiùs investigatis, ipsâque experientiâ edoctus, ingemiscere cogor: *Quis speråsset,* in præfatis haluçinationibus, solas fraudes, mendacia & illusiones reperiri!

31. *Veridicus.* Quoties homines isti de nostris Articulis & Ritibus fabulantur, ita ferè cum veritate procedunt, sicut olim Samson cum Segete Philistinorum, quam succenderat; sicut Moyses cum Decalogi tabulis, quas confregerat; sicut Jacob cum virgis, quas decorticaverat; sicut illa mulier Evangelica cum Domo sua, quam everrendo, pænè everterat; imo sicut ipse Diabolus cum Jobo, quem ulceribus oppleverat. Demonstrant se habere ingenium Sciolum, sed quo temerè judicent; caput lepidum, sed quo Sophisticè carpant & capiant; lingvam

gvam acutam, sed qua pungant; os spumosum, sed quo maculent; nasum oblongum, sed quo inuncent: Frontem tamen non habent. Adhuc unum occurrit, quod nunquam satis demirari possum: nimirum, licèt Prædicantii ferè omnibus lucubrationibus suis, enormissimè Ecclesiam Catholicam lacerare & calumniari soleant, nihilominus, quoties contingit Authorem aliquem Orthodoxum succinctè & nervosè hujusmodi fraudes revelare, ineptiasque refellere, (quamvis id svavissimè fecerit) illicò furere incipiunt, vociferantes, se nimis confundi, plus æquo lædi, ab Authore hoc nonnisi exulcerari Animos, & oppugnari Charitatem: proinde se ne quidem dignari respondere ad talia. O homines fallaces! En novum astum! hac iracundiâ insufficientiam impotentiamq; suam ad hujusmodi compendiosa & nervosa Catholicorum Opuscula solidè refellenda, excusare & palliare nituntur: cùm experientiâ compertum sit, totam illorum de Rebus Fidei scribendi aut differendi Artem in fusissimo nonnisi inanium verborum & perstri-

Quomodo indignari soleant Catholicis Scriptoribus.

ctiva-

ctivarum phrasium apparatu consistere, vi cujus valeant legentes, partim multitudine obruere, partim caligine quâdam & confusione involvere.

Doctrina Romana. 32. *Bonifacius.* Totum Systema Doctrinæ Catholicæ circa Fidem, Justificationem peccatoris, & bona Opera satis dilucidè expressum etiam in obviis libris haberi potest. 1*mo* docet Ecclesia Romana absq; Fide neminem salvari posse; eamque primùm omnis Christianæ Justitiæ & Salutis fundamentum esse, prout testatur Paulus ad Hebræ: c. 11. v. 6. *Sine Fide impossibile est placere DEO: accedentem enim ad DEum, oportet primùm credere quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit.* Proinde omnia illa opera quæ Fidem præcedunt, dicimus insufficientia esse ad Justificationem & salutem consequendam. Et de talibus Operibus (præsertim verò de cæremoniis Legis Mosaicæ) loquitur Paulus ad Rom. e. c. cap. 3. v. 28. *Arbitramur enim justificari hominem per Fidem sine Operibus legis.*

33. 2*do* Ut justificetur peccator, omnino tenetur per veram pænitentiam

cum

cum spe & fiducia participem se reddere Gratiæ Divinæ & Meritorum Christi. Ad quod omnes innumerîs locis urget & adhortatur sub comminatione æternæ damnationis tam Vetus quàm Novum Testamentum, e. c. Luc: 13. v. 3. *Nisi pænitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Idcirco etiam quotidie orare assvevimus, *dimitte nobis debita nostra*, licèt Christus jam pro omnibus satisfecerit. Veram itaque & à Christo præscriptam pænitentiam agenti peccatori confertur ex meritis Salvatoris nostri Divina Gratia in remissionem peccatorum: quam Gratiam, formalem Justitiam & Justificationem nuncupamus.

§4. 3*tio*. Ut autem Gratia, quæ ex Christi Meritis & Divina Misericordia Animæ pænitentis infunditur, conservetur atque augeatur, obligatur homo sub pæna amissionis æternæ Salutis, se quoque exercere in Operibus Charitatis DEI & proximi, id est servare præcepta, sicut Christus ipse docuerat: *Si vis ad vitam ingredi, serva Mandata.* *Mat.* 19. *v.* 17. Ejusque illuminatus Apostolus Paulus: *Si omnem Fidem habue-*

habuero, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum. 1. Cor. 13. v. 2.

35. 4*to*. Et quidem Opera illa quæ non præcisè naturaliter seu propriis naturæ viribus eliciuntur, sed supernaturaliter adjuvante Gratiâ Domini nostri JESU Christi etiam præmianda sũt à DEO in futuro seculo: quoniam Dominus ipse hoc se facturum appromiserat Mat: 25. v. 34. *Tunc dicet Rex: venite benedicti Patris mei, possidete Regnum: esurivi enim, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere &c.* Et Paulus ait: *Unusquisq; autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.* 1. Cor. 3. v. 8. Et ideo talia opera appellamus merita, non hoc sensu, quasi verò homo propriis naturæ viribus Cælum mereri possit (prout calumniosè & nimis impudenter de Doctrina nostra suos informant Prædicantii) sed potiùs hôc, quoniam Opera talia per Christi merita & Gratiam fiunt DEO specialiter grata ac disponentia animam ad vitam æternam, & DEUS præterea iisdem mercedem in Cælo ex misericordia sua polli-

pollicitus est. Unde quivis homo prudens colligere poterit, quomodo juxta sanum & verum Scripturæ sensum, per Gratiam Christi primùm justificemur, tandem etiam glorificemur.

36. Deinde præmianda quoq; sunt alia Opera bona, e.c. Orationes, Jejunia, auditiones Missæ &c. etiam illa quæ non ex Præcepto sed solùm Consilio in DEI honorem facimus, ut sunt, Vita Religiosa cum Votis suis, castigatio corporis, frequentiores eleemosinæ, orationes prolixiores &c.&c. Quare? quoniam Christus Mat. 10. v. 42. etiam spospondit: *Quicunq; potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* En Compendium universæ Doctrinæ Catholicæ, præsentem materiam concernentis. Quid rectiùs? quid vitæ Christianæ & bonis moribus conducibilius? quid Sacris Literis ac rectæ rationi conformius dari poterit? Verùm, *O mi DEUS, quis putâsset!* salutaria hæc & piissima Dogmata, adeo enormiter à Prædicautiis obscurari, perverti, velari atque contumeliosè deturpari posse, sicut num. 30. adverti-

mus.

mus. Hoccine est, illum, quicunque Catholicus fieri quærit, nuntium debere remittere Fidei & pretiosissimis Salvatoris Meritis, suamque Justificationem ac Salutem per nugas ab hominibus confictas quærere?

37. *Veridicus.* Candidè fateri cogor, in Concionibus & Lucubrationibus eorum, tantùm reperiri sinceritatis, quantùm lardi in culina Judæorum; tantùm veritatis, quantùm fructûs in illa ficulnea Marci 11. v. 21. tantùm verecundiæ, quantùm pudicitiæ in illa meretrice Rahab Josue 2. v. 1. Quotiescunque Prædicautii de nostris Veritatibus coram suis fabulantur, videntur imitari illum, qui per compita discurrens, & quidpiam à longè indigitans, sponsione certavit cum adstantibus, asserendo, patibulum esse cum duabus columnis: ast ubi propiùs accessissent, adverterunt duos Viros Spirituales mutuô sese respicientes, Breviarium devotissimè recitare.

Qualisnam de facto sit Fides Lutherana? & in

38. *Bonifacius.* Illa è contra Christi meritis apparenter fucata vaniloquia: *Totâ fiduciâ nostra in Christi IESU præstantissimo Sangvine ejusque Meritis, in*

Omni-

Omnipotente Gratia sua per salutiferam Fidem sita est: non in propriis Operibus, non in nugis, vanisq; hominum traditionibus &c. Modò abstergatur cerussa, insistendo suis principiis, re vera sic intelligenda sunt: *Sola Fides absq; bonis Operibus & observatione Mandatorum DEI, salvificat. Modò credas infallibiliter tibi per Christum peccata remissa, & Vitam æternam certissimè dandam esse, jam defacto es justificatus, jam procul dubio salvaberis, etiamsi interim nihil boni, sed omne malum perpetrares.* Et in hoc re vera (ut mox manibus palpabimus) principalissimus Lutheranismi Articulus consistit.

quo cõsistat eorum fiducia ac securitas?

39. Illinere solent errorem hunc Prædicautii ornatissimâ de Christi Sangvine loquendi formâ, compellando Fidem Salvificam, firmissimam in Christi Meritis Fiduciam, Christianam securitatem & conscientiæ libertatem, nimirum quatenus juxta doctrinam hanc nec bona facienda, nec mala fugienda sunt: Quamvis re vera id non Fides, non Fiducia, non vera Securitas dicendum sit, sed potiùs vana quædam persvasio, quin etiam temeraria

præsumptio, qua omnibus flagitiis & sceleribus aperitur aditus; quæ præfatis aliisque innumeris Scripturæ testimoniis, ipsiq; lumini rectæ rationis è diametro opponitur: pro qua nullum penitùs adduci pótest fundamentum, præter aliquot perversissimè intellectos textus ex Epist. S. Pauli ad Rom: ubi aliquoties Apostolus *Iustificationem nostram, Fidei, non operibus legis attribuit:* Licèt quivis rectæ rationis compos, modò totam Epistolam studiosè evolvat & consideret, palpabiliter advertere possit, Paulum illa solùm opera à Justificatione Christiana excludere, quæ ante Fidem susceptam peracta sunt, imprimis autem Circumcisionem & Legis Mosaicæ Cæremonias. *Quis putâsset!*

Pura Lutheri Doctrina. 40. Et quidem sic de facto explicari atque doceri à Luthero suisq; Prædicantiis, præfatum Articulum, scripta eorum indigitant. Lutherus ante omnia Sacram Scripturam pluribus locis falsificaverat, e. c. in Epistola S. Pauli ad Rom. c. 3. v. 28. & Marci 11. v. 24. vocem hanc, *sola*, Fidei appingendo, ut videre est in Bibliis Lutheri

Jenæ

Jenæ per Donatum Richtzenheim & Thomam Rebart impressis. Ubi verò Sacrilega hæc Verbi Divini adulteratio eidem exprobraretur, respondit Tom. 6. Wittembergæ per Lufft impresso an. 1553. in glossa fol. 165. §. 3. dicens: *Quoniam adverto, primarium articulum incessanter ventilari à Diabolo per suos hypocritas, idcirco dico, Ego D. Martinus Luther, Domini nostri IESU Christi indignus Evangelista, articulum istum (Fides sola sine omnibus operibus justificat apud DEum) inviolatum relinquendum esse à Cæsare, Papa, omnibus Cardinalibus, Episcopis, Sacrificulis, Monachis, Monialibus, Regibus & Principibus, à toto mundo cum omnibus diabolis: ignemque infernalem pro lucro reportent.*

41. Et Tom. Epist. 1. ad Melanch: fol. 345. inquit idem Lutherus: *Pecca fortiter, sed credè eò fortiùs, & delectare in Christo, qui mortis & peccatorum triumphator est: Ab illo non separabunt nos peccata, licèt singulis diebus millies fornicaremur aut homicidium committeremus.* Et iterum in sua Postilla Domestica Jenæ impressa per Christianum

Rodinger hæredem an. 1559. in Concione super Evangel. Joan. 3. Feria 2da Pentecostes: *Nullum amplius peccatum in mundo est* (loquitur Luther) *præter infidelitatem: Alia peccata in mundo, sunt Domini Simonis peccata, veluti dum Hansellus meus ventrem purgat in angulo, ridemus talia tanquam rectè facta: ita quoque Fides nostra efficit ne stercora nostra fæteant coram DEO.* Parcite, quòd tam fætida adagia (quibus omnia Lutheri scripta præsertim verò colloquia ejus mensalia condita sunt) auribus, & oculis objiciam: quamvis enim ipse rubore suffundor, cogor tamen doctrinam purissimam pretiosi hujus Viri (prout à suis Prædicantiis celebrari solet) fideliter referre. *Sed quis sperâsset!*

42. DEUM immortalem! Ergonè Christus DEI Filius ideo in hunc mũdum venit? ideonè pretiosum fudit Sangvinem? ut securiùs DEum offendere valeamus! Sed ubi illud? quod Dominus in illa tremenda Judicii sui die exprobraturus est etiam iis, qui Fidei bona opera non adjecerunt, Mat. 25 *Ite maledicti in ignem æternum, esurivi*

enim

enim & non dedistis mihi manducare &c. Ubi illud? quod Paulus disertè enuntiat. 1. Cor. c. 6. v. 9. 10. *Nolite errare: neque fornicarii, neque adulteri, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici &c. Regnum DEI possidebunt.* Ubi omnis morum & Christianè vivendi regula? *Quis putásset!*

43. *Veridicus.* Quoties cultioribus & ad pietatem Christianam magis propendentibus Lutheranis, hujusmodi spurciloquia è scriptis Lutheri hausta proponuntur, respondere consveverunt, Diabolus rapiat possideatq; Lutherum: quid nobis cum Luthero? sed in cassum. Adhuc enim isti, quorum Doctrinæ, interpretationi Scripturarum, atque curæ salutem animæ committitis, nimirum Prædicautii, idem omnino docent, vobisq; à teneris instillant. Quamvis interim toto conatu desudent, quomodonam præfatum Lutheri errorem cautiùs dexteriùsque vobis insinuent, atque svavissimis de JESU Christo phrasibus condiant, ut incautis arrideat. Paucula ex innumeris affero: Niclas von Amsdorff Prædicautius in præfatione ad

Prædicātes ad hæc usq; tempora veri sūt Lutherani.

primam partem omnium Lutheri operum an 1564. impressorum ita halucinatur: *Sanctus ille ac pretiosus Vir Dei Lutherus, perniciosissimam hæresim qua nulla unquam perniciosior in mundo extiterat, quòd nimirum bona Opera ad salutem sint necessaria, strenuè & efficaciter refutavit & expugnavit.* Imo etiam Valen. Löscher Superintendens Dresnensis in suo Literario Commercio nuper adversus Sanctitatem Baptismi Romano-Catholici edito, pag. 11. docet inquiens: *Unica via ad damnationem est infidelitas seu non credere.* Et pag. 13. *Fœdus Baptismi quotidie nos certificare debet de salute consequenda.* Talia, hisque similia afferta, quæ cum præfato perniciosissimo Lutheri errore omnino conveniunt, in omnibus ferè Prædicautiorum Lucubrationibus reperiuntur.

Quid de eorũ Catechismis, Cãti-precatoriisq; libellis sentiendum?

44. *Bonifacius.* Jam autem in Catechismis minutioribus, libellis precatoriis & cantilenis, Doctrinam suam quasi vermiculum Indicum ipsi holoserico implicare videntur: nimirum Verbis ad speciem Sanctis de Christi Domini Meritis, de Dulcissimo Nomine

JESU,

JESU, de Amore DEI, ejusq; mandatorum observatione, adeo cautè ut errores vix agnosci queant. Idq; ideo, ne aliàs homines ad virtutis tramitem procliviores, à se suisq; Dogmatibus arceantur. Maxima ferè pars solis Catholicorum phrasibus, orationibus & affectibus adornari solet: Centies ingeminari advertes: DEUM timere, eumq; super omnia diligere debemus, vitam sanctam ducere, præcepta DEI servare, lucrari per Sacramenta Gratiam Domini nostri JESU Christi &c.&c. Superaddunt præterea etiam paululum de propria doctrina sua, sed obiter & admodum circumspectè, e. c. quamvis per talia opera non mereamur Vitam æternam. O Cretenses, semper mentientes! quàm ingeniosè populum Christi Sangvine redemptum decipitis! Hæc enim omnia dulciloquia, tandem post multa vaniloquia, in hæc omnino turpiloquia desinunt: *Debemus quidem DEI præcepta servare & bene agere, nihilominus quamvis id non faceremus, infallibiliter tamen salvabimur, modo firmiter, sicut DEus, DEus est, & sicut Scriptura, DEI Verbum*

est, credamus, nos per Christum salvandos.

45. Et hic otiosi sermonis scopus est. Sed quis tali insistendo Doctrinæ, quidpiam boni agere, aut piè vivere vellet? quis præcepta servare, à flagitiis declinare, destructa reparare, ablata compensare, ad novam denique vitam contra pristinæ consvetudinis obicem eluctari conabitur? Si absq; tot impensis, æq; benè, & multò commodiùs, imo millies securiùs Vitam æternam adipisci valeat, modo credat id omninò futurum esse. Verùm, cur Prædicantii hanc enormem doctrinam suam non sic palam & sincerè omnibus aperiunt? qua de causa Catechismos, precatoriosque libellos Catholica loquendi methodò depingunt? ideo ut sui, quicunq; ad pietatem Catholicam magis propendent, arbitrentur Disciplinam suam cum nostra in substantialibus convenire, (licèt compertum sit, tantum ab ea distare, quantum à Cælo Empyreo gehenna) taliq; industria faciliùs in errore contineantur. *Quis putâsset!*

46. *Veridicus.* Nonnè verum: Ver-

ba

ba mellea, corda fellea; Aurea retia, ferrea pretia; Patula pulchritudo, occulta turpitudo; Blandientes oculi, latentes ſcopuli, Amæna cilia, falsa perſpicillia. Exterius facula, interius macula; Extrinſecùs Paſtor, intrinſecùs impoſtor.

47. *Bonifacius.* Ars hæc in quam Prædicantii diu noctuque incumbunt, ut nimirum Dogmata ſua ſplendidè effingere, noſtra verò turpiter proſcindere valeant, quonam compellanda ſit nomine, anceps hæreo: profectò Theologiæ vocabulum, nequaquam meretur.

48. *Veridicus* Artem ſartoriam eſſe dicerem, quæ docet centones ſarcire, integrum verò pannum ſcindere. Dalila Samſoni crines Jud. 16. v. 19. Hanon Davidis Emiſſariis veſtimenta & barbas abſciderat, 2. R. 10. v. 4. arte autem hac fama & veritas proſcinditur. Satiùs tamen magiam dæmoniacam appellavero, quam Lutherus cum Diabolo de abroganda Miſſa diſputans, didicerat, ut videre eſt in Tom. ſuo 7. de Miſſa privata.

De Cultu & Invocatione Sanctorum, ac S. Imaginibus.

49. *Bonifacius.* Præterea in Libris eorum satis fusè exaratum reperi: *quàm abominabilis Idololatria apud Catholicos exerceatur, dum scilicet Sancti, eorumq; simulacra, statuæ, ligna, saxa, & trunci Divino cultu adorantur. In Papatu* (calumniatur e. c. Hunnius Prædicans in suo famoso libello, pellis ovina Romanæ Ecclesiæ detecta, nuncupato) *coguntur homines mortuorum Sanctorum merita inquirere, Idololatriam, aliasque innumeras impietates exercere, vel saltem iis non refragari; Pharisæorum Iudaismo imo Paganismo, multisq; hæresibus, quæ in Romanam Ecclesiam enormiter irrepserant, implicari.* Alii verò cum Prædicautio Herold superaddunt: *Dominum DEum tuum adorare, ipsiq; soli servire debes, Mat. 4. v. 10. Ast Ecclesia Papistica traditionibus suis præcipit tibi, ut non solum DEum, verùm etiam Mariam aliosq; adores. Monstrat Sanctorum merita, quasi verò inexhaustus tuorum Meritorum Thesaurus, cruentate* pro

pro me dulcissime IESU! non satis foret ad salutem hominum comparandam.

50. Iis verò de suo Gremio Viris, quibus hujusmodi convicia adversus Catholicos eructata displicere solent, jam aliter res proponitur: e. c. sic: *Quærant Catholici varios eosque complures Patronos: nos unicum habemus Dominum nostrum IESUM Christum, Mediatorem inter DEum & hominem: experiemur aliquando, uter Patronus magis prodesse valeat.* Vel adhuc aliter: *Indignentur licèt omnes Sancti, modò Christum propitium habeam, parum ista curabo.* O deceptores populi (respondent ad hæc Catholici) nunquid possibile, ut Christum habeas propitium, dum fideles Servos suos & Amicos despicis? utique scriptum Luc:10. v. 16. *Qui vos spernit, me spernit?* Aut quomodo Sancti in Cælo regnantes indignari tibi poterint, si Dominum eorum, Amicum re vera habueris?

51. *Veridicus.* Prædicautii omnibus omnia facti, sed non cum Apostolo: blandiuntur cum Joab, ferociunt cum Cain; osculantur cum Juda, insidiantur cum Herode; zelant cum Caipha,

simu-

ſimulant cum Pilato; gloriantur cum Pharisæo, cavillantur cum Saducæo. Lambunt ſicut cati, lacerant ſicut Tygrides, modulantur ſicut cygni, inſidiantur ſicut vulpes. Mentiri, decipere, calumniari, pro ſcrupulo non reputant, quoniam per ſolam Fidem ſalvari volunt.

52. *Bonifacius.* Jam defacto verus & ſincerus exiſto Catholicus: quidquid aut quomodo in Eccleſia Romana agatur, bene perſpectum habeo: ac proinde manibus palpo, omnia Prædicauriorum ſcommata decipulas eſſe. Attendite & auſcultate, quotquot eſtis moderatiores Lutherani! En jurejurando teſtor DEum cordium ſcrutatorem, me nunc multò acriùs quàm antè, omnes quotquot purum aliquem hominem Sanctum ſicut DEum adorarent, aut Imaginem quandam ſicut Idolum colerent, execrari & anathematizare. Inſuper profiteor, ſi quis Chriſtum Dominum noſtrum non veluti unicum Redemptorem, Mediatorem & Salvatorem Mundi diligit & honorat, anathema ſit: & qui dixerit, hominem aliter ſalvari poſſe quam per

Chri-

Christi JESU merita, anathema sit. Sic enim docet Conc. Tridentinum, sic firmiter tenet, facitq; Universa Romano-Catholica Ecclesia. DEum immortalem! Utquid igitur Prædicantii adeo inprudenter mentiuntur? Cur adeo temerè illis creditur? Forsan ideo, quoniam advertitis Catholicos ante Sanctorum Imagines genuflectentes orare, e. c. Sancta Maria ora pro nobis Christum, S. Petre, S. Paule orate pro nobis? Sed nunquid vobis incompertum etiam in aliis materiis & actionibus, opus externum juxta interiorem hominis Intentionem (quam etiam continuò vobis manifestamus) judicandum pensandumque esse? *Quis putâsset!*

53. *Veridicus.* Narraverat mihi quidam Peregrinus, se in Vestphalia ad publicum Diversorium divertisse, quò plurimi helluones protũc confluxerant, & inter cæteros etiam duo Laniones crapulam edormituri: qui (inquit ille) ita horrendè stertebant, ut unus ronchizando cubiculi januam patefecerit, alter verò respirando attraxerit, adeo ut janua tota nocte continuò panderetur

tur & clauderetur. Exaggeratio hæc fuerat nimia. Ego verò parum dico asseverando, Prædicantios horribilioribus ronchis afflare Christi Ecclesiam. Interim tamen quoties contingit, Authorem aliquem Catholicum barbarismos hujusmodi seriò redarguere, adhuc audent indignari, blaterantes, en cavillatur, en calumniatur &c.

Intentio opera externa discriminat.

54. *Bonifacius.* Externa cultûs & venerationis signa, e. c. inclinari, genuflectere, prosterni, rogare, reverentiam exhibere &c. sunt actiones indifferentes, & reputantur bonæ aut malæ, tales vel tales juxta interiorem hominis intentionem. Alia intentione genu flectimus coram DEO, alia coram Rege terreno, alia coram Parentibus liberi, alia debitor coram creditore, alia coram Virgine Procus &c. Sic etiam in omnibus Catholicorum Ritibus, Cæremoniis, Verbis & Operibus spectanda est intentio. Coram Christo Domino genuflectimus tanquam DEO & Salvatore nostro, eumque invocamus veluti unicum talem Mediatorem, qui nos redemit & Sangvine suo reconciliavit Patri, in quo

veluti

veluti omnis boni fonte, tota collocanda fiducia. Coram Sanctis inclinamur, eosque invocamus jam diversa toto Cælo intentione, nimirum tanquam Christi Servos & Amicos, qui unà nobiscum ante Dominum procidant, eumque deprecentur, orent atq; adorent. Ante imaginem inclinamur coram eo quem Imago denotat. Papam veneramur tanquam Christi Vicarium & præcipuum ejus in terris Famulum, quo facto ipsum Principalem id est Christum speciali cultu prosequimur &c. *Quis putásset!*

55. Et quidem has intentiones nostras nemini celamus, sed tot scriptis & dictis, candidè omnibus divulgamus, adeo ut nec pueros in scholis, nec vetulas in Nosocomiis lateant. Nihilominus tamen Prædicautii à suis Idolis abstinere nequeunt.

56. Utique vos Sanctorum Festa celebratis: quid hoc aliud est quàm colere Sanctos? & quidem eo cultûs genere, qualem nemini mortalium exhibere licet. Vos ne quidem adorare DEum potestis etiam in Spiritu, nisi priùs in cerebro efformetis DEI Imaginem

Lutherani & Calvini certas habent imagines quas colunt.

ginem, in cujus deinde repræsentatione inclinationes & adorationes exhibere soletis. Nunquid imago in capite non est æque creatura ac imago in pariete? Vos singulari cultu prosequimini Biblia, stringendo, delibando, verumque DEI Verbum compellando, cùm tamen Scriptura, defacto nonnisi materialis, Divini Spiritualis Verbi expressio sit. Si igitur talem expressionem & imaginem, quæ in literis syllabisque consistit, & à Typographo, atro colore exaratur, colitis, cur nefas arbitramini, alias quoque imagines quas rubeo aut cæruleo colore pictor adumbravit, simili modo honorari? Quoties vox ista, *IESUS*, devotè profertur, inclinando caput, galerum subitò detrahitis: igitur idololatriam exercetis? utique vox ista, *IESUS*, imago vocalis est, signumque materiale expressivum Domini nostri JESU Christi, in duabus syllabis consistens, æque creatura ac omnes aliæ Imagines? O cæcitas! ô pervicacia! *Quis unquam sperâsset!*

57. *Veridicus.* Consveverunt, suos mortuos pingere ante Crucifixi Imaginem

nem genua flectentes & compositis manibus orantes : vivi autem id ipsum facere recusant. Non habetur pro Idololatria, si quis Dissidentium Iconem suæ Amasiæ utraque manu stringat, pectori applicet, exosculetur, nec non cum singulari reverentia asservet. Similia autem exhibere, Christi Salvatoris, aut B. ejus Genitricis, ac cæterorum Sanctorum Iconibus, nefas est.

58. *Bonifacius.* In quonam verò Doctrina Catholica de Cultu & Invocatione Sanctorum consistat, ex obviis libris facilè colligitur. *Primò* docet Romana Ecclesia colendos venerandosque esse Sanctos tanquam Servos & Amicos Christi. Quare ? ubi id scriptum ? ideo, quoniam ipsemet Æternus DEus Pater eos honorat : *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. Io.12. v.26* Honorat eos DEus Filius : *Vos qui secuti estis me, in Regeneratione sedebitis super sedes duodecim &c. Mat. 19. v. 28.* Honorat & Spiritus Sanctus, e. c. per Ecclesi: *Laudemus Viros gloriosos & Parentes nostros in Generatione sua, c 44. v. 1. Sapientiam ipsorum narrent Populi. &*

Doctrina Catholica de Cultu Sanctorum.

laudem eorum nuntiet Ecclesia &c. v. 15.

De Beatissima Dei Genitrice. Angelus Gabriel Nomine totius SS. Trinitatis salutat & honorat B. DEI Genitricem Mariam: *Ave Gratiâ plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus &c.* Tu verò ô miser homuncio, tu esca vermium, tu sacce stercorum, tu lacuna sordium, eam salutare atque venerari reluctaris? tu honoris locò blasphemiis ac contumeliis afficis? *Quis putâsset!*

59. *Veridicus.* Beatissima Virgo Maria, quæ Salvatorem mundi 9. mensibus sub Corde suo gestavit; uberibus nutrivit; labore manuum suarum educavit; unà cum ipso contemptus, persecutiones, exprobrationes, omnemq; mundi miseriam constanter pertulit, sub Cruce ad supremum usq; exitum perstitit; Illa Virgo Mater admirabilis, cui Angelus: *Benedicta tu in mulieribus.* Cui Elisabeth: *Beata tu.* De qua, illa mulier in Evangelio: *Beatus venter, qui te portavit.* Quæ plena Spiritu S. prophetizaverat: *Ecce enim ex hoc, Beatam me dicent omnes Generationes.* Hæc DEI Mater ordinariè in scriptis Prædicautiorum solùm Maria ap-

appellari solet, ita ut Eam nequidem titulô *Sancti*, *Beati*, aut *Benedicti* dignari; quin imo blasphemô peccatricis vocabulô proscindere assveverint. E contra Lutherum suum, cujus immundities, evidenter colligitur, non solùm ex sacrilega violatione Monialis, verùm etiam ex spurcissimis Lucubrationibus suis, quas ipsi Prædicantes (DEO adversùs Lutheranismum sic permittente) Typis mandârunt: hunc inquam Lutherum appellare solent, Virum Sanctum, Beatum Doctorem, pretiosum Virum DEI, quintum Evangelistam (juxta quem se quoq; Evangelicos nuncupant) zelosum Eliam &c. O munde immunde!

60. *Bonifacius.* *Secundò* præbet nobis Ecclesia salutare Consilium invocandi quoq; Sanctos, non sicut Christum invocamus, sed diversô omnino modo, nimirum veluti famulos ejus, qui nobiscum & pro nobis eundem Dominum deprecentur. Quare? Quoniam Sanctorum Invocatio & fundatur in Scriptura. & Christum maximè honorificat. Profectò, si Paulus desiderabat etiam à mortalibus & ad- Invocatio Sanctorum conformis est Scripturæ.

huc peccatis obnoxiis hominibus ut pro se DEum orarent: *Obsecro ergo vos Fratres per Dominum nostrum IESUM Christum, & per charitatem S. Spiritûs, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad DEum. ad Rom.* 15. *v.* 30. Si DEus ipse præceperat: *Ite ad servum meum Iob, ipse orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia. Iob.* 42. *v.* 8. DEUM bonum! Cur à Sanctis in Cælo, qui in Speculo Divini Vultûs necessitates nostras perspicuè intuentur, non licebit quoq; exoptare similia? *Quis putâsset!*

61. Utique Angelus orabat pro Populo, dicens: *Domine Exercituum usque quo non misereberis Ierusalem. Zacha.* 1. *v.* 12. Utique Petrus ipse promiserat id se facturum in altera Vita: *Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* 2. *Petri c.*1. *v.*15. Verbô, qui invocare Sanctos, pervicaciter renuit, vel arbitratur cum Epicuro, Animas post hanc mortalem vitam dormire aut mortuas esse; vel *communionem Sanctorum* in Apostolico Fidei Christianæ Symbolo contentam

no

non credit: qualem enim aliàs Communionem haberemus cum Sanctis?

62. Præterea millies magis honorificatur Christus Dominus per Invocationem Sanctorum, quàm aliàs. Quid enim re vera est invocare Sanctos? Non est dicere, (sicut Prædicautii impudentissimè fingunt) Sancte, fac nobis hoc vel illud propria virtute & authoritate: aut, Sancte, ora tu pro nobis, nos interim otiabimur. Sed invocare Sanctos, idem est ac convocare illos, ut unà nobiscum coram Divina Majestate procidentes, adorent, laudent, benedicant, orent atque deprecentur Dominum nostrum JESUM Christum, ut Gratiam suam nobis largiatur. Nonnè sic magis colitur Christus, quàm dum pervicax peccator, galerô natô inpositô, arrectaq; fronte Regem Cæli & terræ alloqueris? *Nonne sic verè laudamus DEum in Sanctis suis, Ps.* 105. Quid Scripturæ, rectæque rationi conformius? Quomodo nunc subsistit impudens illa Prædicautiorum calumnia num 49. adducta? En verè descriptam habetis Catholicam Do-

Christū millies magis honorificat.

ctrinam, hanc oppugnent Prædicautii, si valent, non sua figmenta.

Illud, *sed ad hæc possunt nostri respondere*, convellitur.

63. Dicet hic quispiam: sed adhuc fortè habent nostri spirituales quid in contra afferant. Respondeo, habent, sed nihil ad rem, nec quidquam tale, quod in comparatione istorum quæ hactenus diximus ullum prudentem virum valeat convincere. Utique nullus Fidei Christianæ datur Articulus, adversus quem multæ futiles blaterationes conglomerari nequeant? Proinde quicunque Veritatis Catholicæ argumentis convictus, eam nihilominus tergiversatur amplecti, similis est illi famelico, qui idcirco cibum sumere recusat, quòd reperiri possint tales, qui venenô imbutum esse, temerè asserant.

Lutheri Patronus.

64. *Veridicus.* Jam intelligo, qua de causa, Prædicautii Cultum & Invocationem Sanctorum ita fervidè persequantur. Luther enim suus Doctor alium olim Spiritum in Patronum adoptaverat. Quem Spiritum? fol. 286. & 288. mensalium, solitus erat exclamare, *Sancte Sathana ora pro me.* Et fol. 122. c. 12. inquit: *Diabolum persæpè*

ſæpè in lectulo ſibi accubuiſſe. Et fol. 251. extollit eum ſupra omnes Sanctos Angelos, dicens: *Quantum Dæmones ſint ſupra Angelos, patet exinde, quòd unus Diabolus etiam pluribus Angelis negotium faceſſere ſoleat.* Et fol. 32. fatetur Luther de ſeipſo: *Conſcientiâ convincor, me Diabolum magis quàm DEum dilexiſſe.* Et Tom. Ger. 5. Jen. impreſſo fol. 259. multum honorificè de eo loquitur, dicens: *Mallem à Diabolo quam à Cæſare interimi, ſic enim Præſtantiori Domino ſuccumberem.* Et iterum Tom. 3. Ger. Jen. fol. 47. *Scriptura ait, nos Diaboli captivos eſſe tanquam noſtri Principis & Dei, adeo ut neceſſitemur id facere quòd ipſe vult, nobisque ingerit.* Hæc & ſimilia innumera ab ipſis Prædicautiis in lucem publicam edita ſunt.

65. *Bonifacius.* Non poſſum ſatis gratiarum referre præfato Jeſuitæ, quòd lucubratione nuper edita occaſionem mihi porrexerit, Veritatem ſeriò indagandi, & vel ideo facili negotio aſſequendi.

66. *Veriditus.* Ego autem non poſſum ſatis demirari, M. Dominationem

tuam evolvendis Catholicorum Libris, iisque solicitè perpendendis tantum curæ & studii contulisse. Videntur enim plerique Domini Dissidentes consvetudinem non habere, Controversias Catholicorum (præsertim si paulò fusius instituantur) funditùs relegendi, multò minùs cum suorum Prædicautiorum Responsionibus studiosè combinandi. Sed ordinaria persvasione hac contenti sunt, quòd nimirum sui Spirituales facili negotio talia valeant refellere.

Quomodo Catholicorum Libri Cōtroversistici refutari soleant.

67. Porro vanam persvasionem hanc versuta Prædicautiorum jactantia procreare consvevit. Modò enim nervosum aliquod Catholicorum Opusculum in lucem prodeat, illicò reponunt fusissimum quoddam summarium: statimque prima fronte juxta consvetudinem debacchari, vilipendere, calumniari incipiunt: nugas esse, effætas antiquitates jam millies à suis Theologis enervatas: (licèt procul dubio, nihil hactenus solidi contra nos attulerint) nihilominus ad confundendum phantasticum Ingenium, velle se paucula quædam, obiter proponere, (quod tamen

tamen fuſiſſimè inſtituitur) unde prudens Lector colligere queat, quàm infirmum ſit, quidquid adverſus puriſſimam NB. Doctrinam ſuam adducitur.

68. Inchoant itaque Verbîs ad ſpeciem piiſſimis, *in dulciſſimo IESV Nomine:* intermiſcent plurimos Scripturæ textus, de pretiosò Chriſti Sangvine, ejusque Paſſione & Meritis, de Fide ſalutifera, de Spe & Fiducia &c. citant caput & verſum exactiſſimè: quibus tamen omnibûs re vera ſolùm àërem verberant. Tandem etiam ſibimet ipſis applaudunt: en jam enervata, convulſa, confracta, contrita ſunt pariter omnia. Tale volumen occaſionaliter arripiunt illi de ſuo Gremio ſeculares, qui propter temporalia negotia non libenter multum legunt. Non dubito (ait quiſpiam) refutationem hìc omnino ſolidam latere: quare? tam multa enim è Scriptura, atq; de Svaviſſimo Domino JESU, non ſine phraſium elegantia, congeſta eſſe adverto.

Controversiarum Clausula, quæ omnia Prædicautiorum objectamenta funditus evertere; & quemvis salutis suæ studiosum, ad Religionem Catholicam convertere posset.

Quid Diffidentes in Die Judicii respōsuri?

69. *Bonifacius.* Vehementer me ad legendum serioque perpendendum stimulaverat illud, quod ab uno Authore adducitur, nimirum: Si nunc, nulli Catholicorum argumento, debitè respondere vales, Bone DEUS! quomodo igitur in illa die novissima, supremo Judici ad mille, unum reponere poteris? Et hic in mentem venerat: quando ante Tribunal DEI comparebo, & Dominus percontabitur, qua de causa in Fide Lutherana vivere & mori decreverim? Quid reponam? Si juxta Prædicautiorum morem dixero, quoniam verum, clarum, purum Verbum DEI cum firma Fide. sectari volebam: rursus urgebit Dominus, ex quibus rectæ rationi consentaneis fundamentis, credideras firmiter, haberi in Lutheranismo verum, clarum, purum

purum Verbum DEI, ejusque rectam Interpretationem? quamvis perſpectum tibi fuerit, Univerſam Romanam Catholicam Eccleſiam cum innumerabili Doctiſſimorum Virorum, totque credibilium Teſtimoniorum caterva, reclamâſſe, omnibus indigitâſſe, Scripturam à Luthero adulteratam, ſuam ſuorumque Prædicautiorum Interpretationem falſam eſſe, & confictam contra uniformem Eccleſiæ Chriſtianæ per 1721. annos ſenſum & explicationem. DEum immortalem! quid ad hæc reſpondere potero? maximè, cùm ab omnibus exigatur, ne in re tanti momenti, quanti Fides eſt, perfunctoriè aut dubitanter nos geramus; ſed ut Veritatem ſolicitè inquirentes, id quod ſecurius nobis apparet, eligamus.

70. Si allegavero ſpiritum meum privatum, inquiens: ita putabam, ſic arbitrabar ſumendam eſſe Scripturam, exiſtimabam in hac Fide ſalvari poſſe: En reponet Juſtus Judex: cur Spiritum tuum ſeriò ſcrutando, juxta mandatum meum non examinâſti? Utique ſciviſti, omnes ſectas, quotquot veram Eccleſiam deſeruerunt, putâſſe, in ſua

Re-

Religione se vitam æternam adipisci posse? Scripturam clarè sibi favere: imo Joan. 6. v.2 *arbitrabantur homines obsequium se præstare DEO*, interficiendo Apostolos; hoc tamen putâsse, hoc arbitrari nequaquam eos coram me excusaverat.

71. Si dixero, talem me Scripturæ nucleum à Prædicantiis accepisse: detonabit Dominus exclamans: Poterasnè quietâ conscientiâ illam Doctrinam & interpretationem Scripturæ repudiare, quæ in Ecclesia Christiana cum tanto consensu per tot secula acceptata; à tot piorum, doctorumq; Virorum millibus prædicata; tot Martyriis & Miraculis comprobata fuerat? E contra verò novæ huic adhærere opinioni, quæ primitùs ab uno monacho inventa est, qui excusâ Religiosa disciplinâ jusjurandum transgressus, & innixus Principum secularium favori, Ecclesiasticæ Potestati palam recalcitravit: cujus mores & codices adeo scandalosi fuerant, ut te ipsum puduerit, Lutheranum appellari? Quam Opinionem atque Scripturæ interpretationem promulgârunt Asseclæ ejus nimi-

nimirum Prædicantii, qui se invicem, propria authoritate sine Episcoporum Ordinatione & Missione, contra antiquissimam Ecclesiæ praxim, functionis hujusmodi Ministros constituerunt: quam insolitam Vocationem hactenus ne unico quidem miraculo confirmare poterant; nec suam Scripturæ interpretationem aliter comprobare, nisi quod dixerint, Scripturam ita accipi & intelligi debere, prout ipsi volebant. Huicnè Doctrinæ securâ Conscientiâ absque scrupulo confidere poteras? Quare te adeo frivolè & insolenter in immensam præcipitâsti Æternitatem? Et ecce, jam de me actum foret, *quis putâsset!* jam jam resonaret in auribus meis illud omnium horribilissimum: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Mat.* 25 *v.* 41.

72. Sed Clementissime Domine, utique totam fiduciam meam in Christi JESU Meritis, ejusque pretioso Sangvine collocaveram. O temeritatem, non fiduciam! Nunquid non omnes Sectæ idipsum allegare poterunt? Sed ex quonam prudenti motivo arbitrari poteras, sicque Scripturam intelligere, quòd

De secura Fiducia Neo-Evangelicorum.

quòd nimirum talis fiducia ad vitam consequendam sufficiat? Ergonè id fiducia, & non potius præsumptio, credere te salvatum iri per Christum, licet non curaveris fieri particeps Meritorum ejus, *partim per veram Fidem,* quæ omnia & singula secundùm Christi Voluntatem credenda complectitur, & quidem non juxta proprium fallibile judicium sumendo Scripturam, aut explicationem ab hac vel illa Secta recenter inventam, sed juxta interpretationem quam lumen rationis dictabat esse securiorem: *partim per Charitatem,* Spem, timorem DEI, veram cunctaque necessaria in se complectentem pænitentiam, prout sub interminatione æternæ damnationis præceperam.

73. O Domine, utique credidi in Dominum nostrum JESUM Christum! Etiam *Dæmones credunt* Jac. 2. v. 19. Sed non rectè, non prout oportet, credidisti: non secundùm verum Scripturæ sensum, sed juxta pervicacem voluntatem & Spiritum tuum. Non credidisti præterea omnia, quæ & quomodo Christus credenda præceperat. Exclusisti

clusisti à Fide tua charitatem, humilitatem, obedientiam, Opera bona, & Mandatorum meorum observationem. Propterea experiâre quod Mat. 7. v. 21. prædictum est: *Non omnis qui dixerit mihi Domine Domine intrabit in Regnum Cælorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei.*

74. Ast è converso, si Catholicam Religionem amplexus fuero, potero, cum humilitate & timore DEI sic respondere: DEUS & Redemptor meus: ego credidi secundùm Verbum tuum, ejusque sensum & interpretationem non juxta privatum Spiritum meum, aut explicationem alicujus Sectæ instituebam, sed in Antiquissima Romano-Catholica Ecclesia inquirebam. Nec leviter, hìc enim Divinæ Veritatis tuæ sigillum & evidentia credibilitatis indicia suspexeram: e. c. uniformitatem & constantiam Doctrinæ in rebus Fidei: Congregationem Fidelium ex omni totius Orbis Populo, sicut appromiseras Marci c. 16. Gentiũ conversionem quæ tibi in hæreditatẽ datæ sunt, Ps. 2. Innumera Signa & Miracula, sicut pollicitus es Marci 16. v. 17. *Signa autem*

Vera Christiana Securitas & signa veræ Ecclesiæ succinctè proponuntur.

autem eos qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia ejicient &c. super ægros manus imponent & bene habebunt &c. Hæc utique Ecclesia mittit Evangelii tui Præcones ad ultimos fines terræ: Hæc ducit suos viâ arcta & per angustam portam in pænitentiis & castigationibus corporis, sicut præcepisti. Tot habet Sanctorum Martyrum millia, qui Tui, Tuæque Fidei causâ, in Romana Catholica Religione, ad præsentem usque diem inter Barbaros & Infideles vitam & sangvinem profundunt, quô incessanter Romanam Fidem confirmant atque exornant. De his aliisque innumeris veritatis, veræque Scripturarum interpretationis signis, utiq; profiteri poteram sicut olim Regius Vates in spiritu prædixerat Ps. 92. *Credibilia facta sunt nimis Testimonia tua Domine.* Quis potuisset sibi prudenter persvadere, hanc Romanam Ecclesiam cum omnibus Doctoribus, Patribus, Martyribus, prodigiorum Patratoribus per tot secula errâsse, Scripturam non rectè intellexisse, nec debitè explanâsse? è contra hunc vel illum abscissum Gregem, juxta

a verum Scripturæ ſensum docuiſſe, cujus ipſius nullum aliud afferebatur documentum, niſi quòd ita dicerent, Scripturam clarè ſuæ opinioni favere?

75. Deinde, utique Domine, Petro, ejusque Eccleſiæ manifeſtè pollicitus es, non prolapſuram fore in errorem: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam. Mat.* 16. *v.* 18. Et iterum: *Oravi pro te ut non deficiat Fides tua, Luc:* 22. *v.* 32. Tandem, etiam ſeverè præcepiſti audire Eccleſiam: *Si non audierit Eccleſiam, ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus. Mat.* 18. *v.*17. Igitur Verbo tuo confisus, credidi ſecundùm Verbũ tuum; & captivans fallibilem intellectum meum, ſubjeci ſensui & antiquiſſimæ Scripturarum Interpretationi Univerſalis Romanæ Catholicæ Eccleſiæ. Et hæc conſideratio adeo in corde meo prævaluerat, ut illicò me reſolverim Veritatem perſcrutari, quam & facilè aſſecutus, mox deinde ſpretis omnibûs humanîs reſpectibus, Fidem Romano-Catholicam amplexus ſum.

E 67. *Ve-*

Qua de causa quidam nolint Catholicam Religionem amplecti,

76. *Veridicus.* Profectò Dominationis tuæ meditatio non solùm ad movendum, verùm etiam ad persvadendum. DEUM bonum! quot non reconciliarentur Romanæ Ecclesiæ, modò saltem unicum hoc Fidei punctum, non gravarentur studiosè perpendere? Quanquam, etiam tales reperiuntur præsertim inter eruditiores & ad pietatem procliviores Dissidentes, qui præfatam veritatem agnoscunt, nihilominus tamen ad Ecclesiæ Gremium converti tergiversantur, idque unicè ob respectum humanum, aut aliud temporale interesse.

77. Nondum Dominatio tua (quoties admirabundus non percontabar?) Fidem Catholicam amplexa est? O mi DEUS! mi Salvator! ingemiscit ad talia. Sed quid suspiria hæc denotant? jam adverto: intellectus agnoscit veritatem, voluntas refrágatur: Spiritus promptus, caro autem infirma. Modò hic vel ille, hæc vel illa ad Religionem Catholicam convertantur, convertar & ego. Quid aliàs dicerent? tota uno impetu rueret amicitia. Ut video, hic & hæc viam tibi

salutis

ſalutis intercludunt : ſed perpende, num te aliquando reſpectus hic coram illo tremendo Judice excusare poterit, qui præceperat Mat: 5. v. 29. *Si ſcandalizat te oculus tuus dexter, erue eum & projice abs te.* Et iterum Mat. 10. v. 37. *Qui diligit Patrem & Matrem plus quàm me, non eſt me dignus.*

78. *Bonifacius.* Efficax mihi occurrit medium, quo Domini Diſſidentes, partim Reſpectus humanos, partim ſuorum Prædicantium obices, facilè valerent ſuperare, in viam Veritatis reduci atque Eccleſiæ Romanæ reconciliari. Nimirum, ſi Poteſtates & Magiſtratus ſeculares, quoties ſuccinctum & efficax aliquod Controverſiarum Opuſculum à Catholicis editur, ſeverè ſuis Prædicautiis mandarent, reſpondeant, & quidem non longo inanium Verborum apparatu (ſicut aliàs consveverunt) verùm ſic compendiosè, ſic dilucidè & expreſsè, ſic nervosè & efficaciter, prout ab Authore Catholico factum. Tunc profectò adverterent omnes, quàm infirma ſint Doctrinæ ſuæ Documenta, quomodo re vera non in Scriptura S. ſed potiùs

pri-

privato suo spiritu fundentur, ultimumque suæ Fidei resolutorium sit, quoniam sic dicunt, sic putant, sic volunt Scripturam sumendam esse. Tunc demum fraudes, quæ plerumque copiosis discursuum ambagibus occultari solent; atq. impotentiam tuendi falsitatem, palpabiliter deprehenderent.

79. *Veridicus.* Rem acu tetigisti. Id certè multorum saluti opportunum foret. Talia enim Rescripta unà cum Catholicorum Opusculis compacta exhiberemus benevolo Lectori expendenda atque combinanda, revelatîs præterea quotquot superadditæ fuerint, fraudibus. Verùm Prædicautii malunt prolixioribus Codicibus occupari: In his enim possunt, continuò ab una Materia resilire ad alteram, miras perplexitates, confusiones, mixturas, fascina construere, quibus Lector veluti caliginosa nube involutus existat, unde soli sacri textus de pretioso Christi Sanguine, de Fide salutifera, de immobili fiducia, quasi scintillæ aut stellulæ assiduè promicare solent.

80. *Bonifacius.* Sed fortassis jam sat datum gratissimo colloquio, desistamus

pau-

paulisper : erit tempus hac de re amplius disserendi.

Veridicus. Bene est : Interim tamen pro complemento dictorum, unum illis S. Petri Textum insinuandum optarem : *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & invidias, & omnes detractiones, sicut modo geniti infantes, rationabiles ; sine dolo lac concupiscite : ut in eo crescatis in salutem : Si tamen gustatis, quoniam dulcis est Dominus.*

1. Petri. c. 2. v. 1. 2. 3.